Q. D. B. V.

STRICTURÆ AD HISTORIAM HERFORDIAE PERTINENTES,

PRÆSIDE

CONR. S. SCHURZFLEISCHIO,

PR. P.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EXCUSSÆ

A

JUSTO ADAMO WERFELIO,

HERFORDIA - WESTPHALO,

WITTEBERGÆ,
Typis MATTHÆI HENCKELII, Academ. Typogr.
ANNO M. DC. LXXXIX.

340

I.

SAxonia occidua vetus inter Rhenum Viſurgimqve comprehenſa regio, nullius ante hac imperio obnoxia, tantiſper ſuo jure uſa eſt, dum ſtatum nomenqve mutaret, & in Francorum ſecundæ ſtirpis ſocietatem pariter atqve imperium veniret. *Monachus Paderbornenſis lib. IV. annal. de geſtis Caroli M. Viticbindus Corbejenſis annal. Sax. lib. 1.*

II. Reges non tulit liber populus, ſed proceres reipublicæ ſocietate conjunctos habuit, qvi dignitate natalium, & auctoritate validi, & conſiliis bellisqve adhibiti, ſemper comitiis interfuerunt, & novis Francorum auſpiciis non mulctati dignitate, ſed magis provecti, ex primoribus cum populari imperio permixtis, reguli & principes duceſqve facti, Regibus atqve Imperatoribus, conſtituto pactis jure, fidem aſtrinxerunt. *Annales Francorum an.*

DCC LXXVII. DCC LXXXV. Monachus Egoliſmenſis in vita Karoli M.

III. Antiſtites per illum veteris Saxoniæ tractum a Carolo M. primùm conſtituti, & ſacris impoſiti ſunt, qvorum antiqviſſimus Paderbornenſis conſecratione ſua nobilitavit Herfordiam, in ſacræ jurisdictionis fines deſcriptam. Etſi enim monumenta ultimorum temporum vel obſcura ſunt, vel in tenebris & ſitu jacent, tamen qvædam non leviter nos confirmant, Badoradum Paderbornæ præſulem hoc munere perfunctum, illuſtre illud Herfordienſe fanum, qvod ad ſacras Virgines pertinet, dedicaſſe. Vixit Badoradus imperante Hludovico pio, cujus auſpicio & benignitate locus ille cultus, & religioſa virginum ſodalitate ornatus eſt, famaqve ſanctitatis præcipuè eluxit, qvæ invitavit homines, ut freqventiores eò ad habitandum venirent. *Auctor vitæ S. Meinvverci*, tam fide, qvàm diligentia commendatiſſimus tradit, *eccleſiam Hervordenſem, a Ludovico filio Caroli Magni filio conſtructam, & a beato Badurado Patherbornenſi Epiſcopo dedica-*

catam. Cujus auctoritas tanta nobis eſt, ut a novitiis ſcriptoribus diſcedamus, & Chriſtophoro Brovvero, qvi vitam Meinvverci edidit, per multum debere nos ultro fateamur.

IV. Cum in Baduradi mentionem incidi, tum ejus publicam ſolennemqve dedicationem memoria & cogitatione complector, cui nulla diuturnitas finem allatura eſt, nec tam ingrata unqvam futura poſteritas, ut ejus laudes exoleſcere patiatur. Floruit honore, & generis claritate Badüradus, à primo Padebornenſium Antiſtite Hathumaro proximus, & regnante adhuc Carolo M. ſucceſſor, ſummam Antiſtitis dignitatem ſuſcepit, at eo dudum mortuo, ſuas conſecrandi partes peregit. *Vid. citatus Anonymus ſcriptor.* Illud verò meritis Hludovici pii tribuendum eſt, qvod fanum hoc inclutum, & in Saxonia ſoli Corbejæ monaſterio ſecundum, a fundamentis extruxerit, cumulateqve locupletârit. Inſtituto, & cauſæ ſerviunt publicæ Hludovici junioris Germaniæ Regis tabulæ, qvarum fides in dubium vocari non poteſt. Verba plana apertaqve ſunt. *Is ergo*

go (Abbas novæ Corbejæ VVarinus) *petiit celſitudinem noſtram recordari, qvod piæ memoriæ genitor noſter Hludovicus imperator* (cognomine pius) *ambo hæc monaſteria* (Corbejæ & Herfordiæ) *extrui jusſit, ad normam videlicet præcipuorum in Gallia monaſteriorum, novam utiqve Corbejam* (qvæ & Saxonica dicitur) *ad ſimilitudinem antiqvæ Corbejæ* (qvæ Francogallica nominatur) *Herifordenſe vero cœnobium ad exemplum monaſterii Sanctimonialium, in Sucsſionis civitate exiſtentium.*

V. Ex his colligamus licet, duo eſſe antiqviſſima Saxoniæ monaſteria, alterum Corbejenſe ad Viſurgim, alterum Herfordienſe ad Aæ & Vehræ confluentes. Utrumq; ſitum eſt in *diœceſi* Antiſtitis Paderbornenſis, qvi antiqvitate omnibus veteris Saxoniæ Epiſcopis præſtat, & propterea interdum per eminentiam *Epiſcopus Saxonicus* appellatur. Ergo auctor Chronici Mindenſis, qvod Henricus Meibomius emiſit, caſtigandus eſt, qvi Eccleſiam *Oſnaburgenſem* (Osnabrugenſem) *primam & primitivam Saxoniæ eccleſiam* vocat, qvem rationibus tempo-

porum, qvas ipſe ſuppeditat, convinco. Nam prior illa *Eccleſia* anno DCC XLII. Buriburgi fundata, & hinc Paderbornam translata, vel utraqve potiùs conjuncta eſt & coaluit ſimul: illa autem, fatente ipſomet auctore Mindenſis Chronici, anno DCC LXXII. demùm cœpit ac inſtituta fuit. Nihilo veriùs eſt, qvod ſcripſit *Anonymus*, *Eccleſiam* Paderbornenſem ex loco Herſtell, ſive Heriſtallo ad ripam Viſurgis, traductam eſſe ad Paduli fontem, qvod Othloni auctoritate poteſt convelli. Qvo fundamento jacto, ſtruitur aptè & componitur illa controverſia, qvæ actibus jus præcedendi dantibus continetur. In qva mediocrem induſtriam poſuit Jacobus Andreas Cruſius, cum eam uſqve a capite arceſſere, & accuratiùs conficere potuiſſet, *de præcem. lib. II. c. 14.*

VI. Unum reſtat, qvod Badurado poſſit eſſe fraudi, cum reperiantur, qvi putent, conſecrationem *monaſterii Herfordenſis* multò ſeriùs, qvàm noſtræ rationes ferunt, a Biſone, qvarto Paderbornenſium Antiſtite, peractam fuiſſe. Hac in ſententia fuit *Gabriel Bucelinus*,

mo-

Monachus diligens ac pereruditus, ſed, qvantum ſuſpicor, monumentis deſtitutus, qvæ diuturnitate & injuriâ temporum interciderunt. Is tradit, Herfordienſe monaſterium, ſub regula ordinis D. Benedicti conſtitutum, cœpiſſe *ſub A. C. 880. qvod*, ut ſcribit ille, *fundavit & dotavit Biſo, qvartus Paderbornenſium Pontifex. Germaniæ ſacræ part. II.* Qvæ ſi ita ſunt, rationes aliter ſubduci oportet, ut planè congruant, & minimè fallant. Verùm Bucelino non aſſentior, niſi præſtet narrationis ſuæ fidem. Publica documenta poſcimus, qvibus fidem habeo non invitus. Vellem inſpexiſſet monumenta a Brovvero, Henſchenio & Mabillonio prodita, qvibus antiqvior hujus monaſterii origo confirmatur. Albertus Cranzius nihilo certiora proferre potuit, qvum famâ potiùs, qvàm ſua opinione ductus narravit, ex Angria illuſtre Virginum Collegium Hervordiam eſſe translatum. *Saxon. lib. II. c. 24.* Angriam haud dubiè ſignificat domicilio tumuloqve Vittekindi magni claram; nam Angria, qvà ducatus eſt, latiùs patet, & Herfordiam cum inſigni monaſterio, urbe & agro comprehendit.

VII. Exin-

VII· Exinde ſeqvitur, Herſordiam in *Veſtphalia propria* non eſſe ſitam, ſed finibus Angriæ circumſcriptam, diœceſi nihilominus Veſtphali Præſulis attributam fuiſſe. Pagus Angriæ in priſcis Francorum Saxonumqve monumentis celebratur, qvi amplus fuit & potens, multosqve tractus habuit, qvos Comites adminiſtrârunt. Inter eos traditur Herfordienſis Comes Caroli M. æqvalis, de cujus familia nihil fere habeo, qvod ſcribam. Illud tantùm in caligine illorum temporum conſtat, Volderum Comitem gentis ſuæ ultimum, levandæ orbitatis remedia qværentem, cesſiſſe obteſtationi Francorum, & pietatis declarandæ cauſa, tradidiſſe Ludovico Auguſto Herfordiam, ut monaſterio, qvod condere geſtiebat, præpotentem patronum circumſpiceret & compararet. Sed qvo id anno extructum fuerit, non perinde licet definire, neqve de conſecrationis initio convenit inter ſcriptores. Eqvidem Henricus Meibomius V. C. & de hiſtoria Germanica præclarè meritus, ab anno DCC XC. Herfordienſis monaſterii initium duxit. Qvo pacto prima ejus

origo videtur altiùs arceſſenda, ita ut cum temporibus Caroli M. conjungatur. Qvi eodem anno in Francia Auſtraſica apud Vangiones ſubſiſtebat, & mitigatis ſacrorum diſciplinâ Saxonibus, in utraqve Francia ſolus, ſedatisqve bellorum motibus, regnabat. *Annal. Francorum an. DCCXC.* Atenimverò ſuſpectæ mihi narrationes ſunt, qvæ a temporibus Carolinis exordium capiunt, qvando veræ, & extra controverſiam poſitæ ſuperſunt tabulæ, in qvibus Monaſterii ejus primordia ad Hludovici pii ævum referuntur. *Chronicon Mindenſe* non tantæ eſt auctoritatis, ut contrarium evincat, maximè in ultimis Carolingorum temporibus, a qvibus fuit remotisſimus Chronici ſcriptor, & pleraqve contra fidem Francorum annalium conſignavit. Meibomius tamen in notis, ad Gobelinum Perſonam editis, gemina tradit, & chronici hujus ſententiam probat. Niſi qvod in numero & nota annorum differentia cernitur, cum in Chronico annus fundationis DCC LXXXIX. in notis autem ad Gobelinum extantibus annus DCC XC. conſtituatur. Contra

qvam

qvàm in notis ad Vitechindum exaratis, in qvibus ſcribitur annus 789. Idem verò Chronicon tradit, monaſterium Herfordienſe ab ritûs Chriſtiani hoſtibus ad vaſtitatem redactum, ſed a Hludovico pio, *anno ejus imperii ſexto, inſtauratum fuiſſe.* Qvod repugnat diplomati Regis Hludovici, qvi Germanicus nominatur. Longè aliud ſignificant verba, *piæ memoriæ genitor noſter Hludovicus Imperator ambo hæc monaſteria* (Corbejæ & Herfordiæ) *extrui juſſit*, qvibus non inſtauratio, ſed primi conditoris opus denotatur. An vero eodem anno monaſterium hoc ædificari, & conſecrari cœperit, non docent rerum Saxonicarum ſcriptores: Illud omninò elicitur ex Francis, anno qvarto decimo imperii Hludovici, id eſt, V. E. Dionyſianæ anno D CC XXIIX. tribus fere poſt Corbejæ dedicationem annis, ſolennia dedicationis Herfordienſis peracta fuiſſe. Curſim addo, Hludovicum Germanicum a plerisqve novitiis haud aptè dici ſecundum, qvippe qvi Germaniæ a Francia Neuſtrica ſeparatæ Rex primus, Imperator Romanorum nunqvam fuit.

IIX. Magna hujus monaſterii celebritas extitit, multosqve ad freqventandum hunc locum adduxit, præſertim cum ei venerationem ſanctitas, & delectationem amœnitas afferret. Plurimum adjumenti habuit a liberalitate Principum, qvos Hludovici pii exemplum movit, ut fructus ampliores monaſterio ad victum, ſplendoremqve illuſtri Virginum Collegio aſſignarent. Nam Hludovicus Germanicus non pejori conditione eſſe voluit, ſed prò ſummo in ſacra amore, nova beneficia contulit, decimasqve addidit & inſigniores reditus, qvi ex finitimis Oſnabrugenſi & Monaſterienſi regionibus atqve diœceſibus obvenirent. Concepta diplomatis verba hæc leguntur. *Ad Herisfordenſis autem monaſterii adjumentum dedit in Epiſcopatu Aſnabrugg genſi* (Oſnabrugenſi) *Eccleſiam Bruginithi cum ſubjectis ſibi Eccleſiis, in Parochia verò Mimigernefordenſi* (aliter Mimigardefordenſii, hoc eſt, Monaſterienſi) *Eccleſiam Renicum his, qvæ ad eam pertinent Eccleſiis, ita ſanè, ut decimarum, aliorumqve redituum proventiones præfatis ce derent Monaſteriis*, id eſt,

Cor-

Corbejenſi & Herfordenſi, ad qvæ munificentiſſimi Germaniæ Regis donatio ſpectat. Præter eos Cobbo qvidam comes, genere Teckelburgius, de hoc monaſterio optimè meritus eſt, cujus ſoror ibi ſacris virginibus præfuit, & qvantum fieri potuit, ordinis commoda curavit. Cujus honori datum eſt, ut nihil non faceret Comes, qvod ad ornandum locupletandumqve monaſterium pertinere judicabat. Qva ex re detrimentum cepit Oſnabrugenſe ſacerdotium, titulo Epiſcopi conſtitutum, cui prædia cum cenſibus ſubtracta, & Herfordiæ attributa ſunt Cobbonis induſtriâ, qvam juvabat occaſio, cum deliteſceret metu Epiſcopus, & magna in offenſa apud Imperatorem eſſet. Fuit hæc deinde occaſio diuturni odii inter Teckelburgios (Tecklenburgios) & vicinos Oſnabrugenſes Epiſcopos contracti, qvi exortis utrinqve diſſidiis, multa de prædiis clientelisqve Tekelburgiis detraxerunt. *vid. Erdvvinus Erdmannus in Chronico Oſnaburgenſium, qvod Vir Celeberrimus Meibomius junior emiſit, ex qvo corrigendum eſt librarii mendum, qvod in notas ad Go-*

belinum conſcriptas, *in utraqve ejus editione, irrepſit, ubi pro ſocer legi debet* ſoror. *conf. Albertus Cranzius in metropoli lib. I. c. 40.* Ambo tamen dubitant, fueritne Teckelburgius, nec ne, qvod alibi licet inqviramus: in præſens ſufficit, virum fuiſſe *Nobilem*, qvi titulus uſu exemploqve veterum non eqveſtri, ſed illuſtri loco natis tributus, & *Comitibus* adſcriptus eſt, ex qvibus *Marchiones* ac Duces fieri & creari conſveverunt.

IX. Partis tot opibus, tantisqve beneficiis collatis, Antiſtita collegiumqve Virginum lites ſæpe & certamina cum vicinis præſulibus habuerũt, & regnante Arnolpho, Francorum Imperatorum ultimo, propter decimas cum Eigilmaro, Epiſcopo Oſnabrugenſi, jure experiri cœperunt. Sed conſtituto judicio, diremit controverſiam Arnolphus, ſic ut cauſa caderent Virgines, & decimas retineret Oſnabrugenſis. *Erdvvinus in dicto Chronico.* Grave qvidem hoc, ſed ferendum erat, ne non a diſciplina ordinis recederent, qvibus non tam opum, qvàm ſacrorum procuratio credita commiſſaqve eſſet.

ſet. Poſthac enim non damnum modò, ſed cladem monaſterio fatalem acceperunt, cum Hungari, ut tunc erant, nomini Chriſtiano infeſti, calamitoſum Germaniæ bellum inferrent, atqve in Saxoniam incurſione factâ, latè omnia vaſtarent ac diriperent, neqve ædibus ſacris parcerent, & Herfordienſe fanum qvoqve funditus delerent. Inſtauratum deinde ab Antiſtita monaſterium, & a Meinverco Paderbornenſium Epiſcopo dedicatum eſt, cum titulo *Baſilicæ ad Crucem:* ab eo tempore vicini famâ miraculi exciti, locum obire, & ſacris itineribus freqventare cœperunt. *V. ſcriptor vitæ Meinvverci p. 48. Hic Abbatiſſa nomine* Godeſti *memoratur, qvæ aliis* Imma *dicitur. Gobelinus in Coſmodromio ætat. VI. cap. 52. & ibidem Meibomii notæ.*

XI. Nondum inter urbes numeratur Herfordia, qvod verum luculentumqve indicium eſt, ſeriùs conditam, & diu poſt irruptionis Hungaricæ tempora, ac poſt ipſam adeò monaſterii inſtaurationem fuiſſe extructam. Etenim fines hiſtoriæ tranſeunt, fabulaſqve narrant

rant

rant, qvi urbis initia altiùs repetunt, & jura imperium civile complectentia, ei a prima origine, & conditûs initio vindicant, atqve a Carolo M. auſpicantur. Fuit floruitqve hoc monaſterium in tutela & patrocinio Imperatorum & Regum, & nullo interjecto, his paruit, horumqve legibus ſtetit, cum de urbe hujus nominis nihil fando auditum eſſet. Poſtea verò, qvàm freqventiâ hominum locus ille cultus eſt, crevit ſenſim & nobilitari cœpit, ut privilegia urbis acciperet, muroqve circundaretur. Non moramur vulgares & proletarios ſcriptores, qvi urbem monaſterio antiqviorem jactant, vel ſtudio ducti, vel imperiti rerum Germanicarum. Ut facile ſit judicatu, qvanto in errore verſati fuerint *Philippus Knipſchildius*, *& noviſſimè Antonius Furſtenavius, qvorum alter non rectè, alter non accuratè & minùs reverenter de hoc argumento ſcripſit.*

XII. Plurimum ad urbis incrementa attulit metus incurſionum hoſtilium, ſtatusqve Germaniæ turbidus, & poſt irruptionem Hungaricam calamitoſus ac miſer, belloqve Saxoni-

co,

co, & turbis crebrò gliſcentibus deterior indies triſtiorqve. Qva rerum facie Virgines monaſterio præfectæ, accolas & advenas, religionis cauſa ventitantes, libenter admittebant, & in ſocietatem coeuntes, privilegiis atqve oppidi jure dignabantur. Nihilo ſeciùs placebat loci ſitus, cum ad bene habitandum aptus, tum defenſioni, qvoad illa tempora ferebant, accommodatus. Hac ratione conjuncti inter ſe homines, communi ope ſe confirmarunt, vireſqve ad propugnationem idoneas magis expeditasqve habuerunt. Eodem enim tempore, qvo oppidi initium cœpit, creverunt cives & corroborati ſunt, ut non comparato vicinorum auxilio, hoſtes repellerent, & ſuis ſe viribus tuerentur. Non temere fecerit, qvi utatur auctoritate ruderum lapideorum, qvæ hodie ſuperant, ſeculumqve XII. edito hujus defenſionis ſpecimine, deſignant. Sed ego, fabuloſus *circumſtantias*, a veritate facti ſecernens, alia depromere argumenta poſſum, qvæ fidem dictis faciant, & ſatis probent, non alii, qvàm XII. ſeculo primam oppidi originem deberi. Hinc in-

C ſeqven-

ſeqventi tempore magna ejus dignitas æſtimata eſt, ut regnante Friderico II. fœdera cum vicinis paciſceretur, more veteris Germaniæ, qvo municipales interdum urbes in fœderis ſocietatem ſunt receptæ. Tales fœderum tabulæ crebrò memorantur, inprimis ſec. XIII. annis M CC XLVI. M CC LXXVII. M CC LXXXVI. M CCC. M CCCXII. M CCCC XXXVII. M CCCC LIX. M CCCC LXIX. qvibus Hervordia cum Præſulibus & Comitibus Imperii, fœdera mutuæ defenſionis pepigit, qvæ partim documentis publicis, partim Chronicis abunde confirmantur. Eò cumprimis pertinet diploma fœderis, anno M CC LXXXVI. inter Ottonem Ravensburgium, &, ut verba habent, *oppida veteris ac novi oppidorum Hervordiæ* initi, ubi non fit mentio *Radevici*, tertiæ oppidi partis, ſed duo tantùm oppida, unô jure conjuncta traduntur. Huc ſpectat Chronicon Mindenſe *ad an. M CCCC LXIX.*

XIII. Qvæ tametſi Antiſtitæ, & ſodalitatis ejus auſpicio geſta ſunt, aut certè geri debuerunt, tamen Urbs potentiâ & opibus eò proceſ-

ſit,

ſit, ut ad libertatem niteretur. Antiſtitæ viribus impares, pacis cauſa aliqvandiu connivebant, & periculoſos ancipiteſqve exitus metuebant, ſed mitioribus conſiliis nihil effectum eſt, cum cives ad ſpem libertatis ſeſe acriùs excitarent. Qvæſita paſſim cauſæ præſidia ſunt, variâ diſceptantium fortunâ, donec Anna Limburgia, monaſterii Herfordienſis Antiſtita, anno M D XLVII. jure ſuo cederet, imperiumqve urbis ex pacto in ducem Juliaci, & Cliviæ, qvà Comitem Ravensburgium, transferret. Urbs contra rationes ſuas edidit, qvamobrem, nemine interjecto, ad Imperium pertineret. Contra pactum obteſtàta eſt, & documenta protulit, qvibus *regalis civitas* appellatur, ſtatusqve libertatis *decreto* Caroli IV. & *reſcriptis* Imperatorum *Friderici III.* & ſeqventium confirmatur. Tanto minùs ab incepto deſtitit, qvando major fiducia in tabulis imperii fuit, in qvas urbs relata, poſſeſſionis titulo ſe fulciebat. Inter hæc diſſidia, multæ poſt mutationes evenerunt, & interitus familiæ acqvirentis, bellumqve Germanicum, rebus his moram impe-

349

dimentumqve attulerunt. *Vid. Actapublica caufà exemptionis Herfordienſis, qvæ publi extant.*

XV. Poſtea El. Brandenburgico Comitatus Ravensburgius obtigit, qvi rem in eo ſtatu non relinqvendam ratus, Herfordiam periculis moleſtiisqve diu fatigatam, multo tandem labore ſumtuq; vindicavit, redactamq; in obſeqvium, cum ditione comitatus Ravensburgiii, in qvam pacto, & ceſſione Monaſterii, cui urbs originem & incrementa debet, ſuperiori ævo venerat, denuò conjunxit. *Geſta hæc ſunt annis 1647. & 1652. illum obſidio, hunc deditio & obſeqvium urbis inſignivit.* Ab hoc tempore pacis amans, ſine labe Principem, cujus imperio defenditur, colit, & in fide perſeverat. Demùm a Gallis, Belgium, finitimumqve limitem invadentibus M. DC. LXXIII. intercepta, nec multò poſt, conſtituta pace, reddita, nemini charitatein Principem concedit.

Mendum extantius §. VII. ſub finem DCCXXIIX. pro qvo leg. DCCCXXIIX.

FLO-

FLORENTISSIMO JUVENI,

JUSTO ADAMO WERFELIO,

AMICO PERCHARO

PRÆSES.

QVod induſtriâ tuâ elaboratum, & doctrinæ fiduciâ defenſum eſt argumentum, id pro eo ac par eſt, vehementer æſtimo, ac tibi res patrias perqvirenti, maximè laudi futurum duco. Nam ſine his ſtudiis aut nulla, aut non jucunda eſt vita, qvam tamen, rationibus bene ſubductis, nec malam eſſe volumus, neqve injucundam.

dam. Indoles verò tua, qvam
unicè diligo, cupida & capax e
veræ ejus voluptatis, qvam hi
ſtoria promittit amantibus, &
diligentibus impertitur. Ergo
felicem te fortunatumqve eſſe
judico, qvi gravem recondi-
tamqve hujus doctrinæ partem
in Academiæ hujus conſpe-
ctum conſvetudinemqve dedu-
cere voluiſti. In qvo genere,
nihil abs te prætermiſſum eſt;
oratio plana & rebus congru-
ens, argumenta ad probandum
apta & ſelecta, qvaſiqve ex vi-
ſceribus ducta, nihil deniqve

va-

vanum & futile, qvod ab inſti-
tuto tuo alienum videatur. Mul-
ti qvidem ad ſcribendæ hiſtoriæ
ſtudium ſe conferunt, ſed, ſi pro-
piùs inſpicias, ineptiunt, & abu-
tuntur otio, qvod cariùs qvi-
dem ipſis conſtare debebat.
Compara, qvæſo, cum Cranzio
Bucelinum; labore ſimiles, ſed
curâ & judicio eſſe disſimilimos,
etiam mediocri induſtriâ ani-
madvertes. Stangefolium, ob-
ſecro, inſpicias; ingenium, eru-
ditionem cum Meibomio con-
tendas; ultrò is cedat neceſſe
eſt, ut laudem exinde modeſtiæ

capi-

capiat, ſi ab hoc vinci ſe fateatur. Prætereo ſcriptores alios, qvorum me ſuppudet, & nomina omitto, ut inſcitiæ exempla reticeantur. Neqve verò hæc te fugiunt, hominem ingenio & doctrina florentem, cui ratio ſtudiorum optima conſtitit, & vita non ſordida, moreſqve integri, & cum liberali animo ſemper conjuncti fuerunt. Vale, & maturos cumulatosqve doctrinæ fructus in patria, qvæ viros intelligentes & probos complectitur, expecta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE